

satione non indigent." *Verba sunt dictae Constitutionis.*

Perpendant ergo EE. PP.: num dispensationem pro reditu ad Ritus graecum, quam Oratores non postulant et non optare profitentur, indulgere expediat ratione vitandi confusionem Ritus in Ecclesia oppidi s. Georgii, ubi graece solum vivitur, juxta relationem Archiepiscopi, qui videtur etiam innuere, quod Oratores alias inutiles forent illi Ecclesiae. Sed ad vitandum hujusmodi absurdum poterit ipse Archiepiscopus profidere auctoritate sua ordinaria, „cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis“, ut praescribit S. C. Trid. sess. 23. cap. 16. de Ref.

Caeterum permixtionis Ritus prohibito eo potissimum respicere videtur, quod Graeci latine ordinati vel non ministrent, ut declarat s. m. Benedictus XIV. in dicta Constitutione: *Allatae etc.* Et licet Graeci in suis Ecclesiis regulariter habeant unum altare, in quo unica celebratur missa quolibet die, ita ut alii Sacerdotes vel concelebrent vel Sacrum agant in Oratoriis Ecclesiae contiguis, ut narratur in dicta Constitut. n. 37 et 39., attamen alicubi et praecipue in Ecclesiis Italo-Graecorum permissa est plurium altarium constructio, ut in eis celebrare valeant tum graeci tum latini Presbyteri, ut sancitur in Constit. Benedictina §. 6. n. 8 et 9. et concordat Encyclica *Allatae* n. 40., in qua insuper declaratur n. 33. vetitam Ritus commixtionem non induci ex eo tantum, quod Graeci in Ecclesiis Latinorum vel Latini in Graecorum Ecclesiis missam celebrent vel alias caeremonias cum populo sui Ritus exerceant, licet provide ad occurrendum dissidiis et consulendum Italo-Graecorum quieti in saepicitata Constitut. §. 9. n. 15. caveatur: „Caeterum ad tollendam omnem Ritus commixtionem et confusionem Presbyteri et Clerici latini in Ecclesiis Graecorum neque missas celebrare neque funeribus, nuptiis ac baptismis et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse aut sese immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant vel praesumant;“ atque inde colligi poterit: non utiles possint in oppido s. Georgii Oratores ordinati latino Ritu, quoties ibi unica adsit Ecclesia Ritus graeci; qua de causa noluit S. C. transitum ad Ritus latinum permittere alteri ejusdem oppidi Presbytero in *Rossanen.* \*) *diei 14. Decbr. 1737 et 11. Jan. 1738.*

Dignabuntur itaque EE. VV. definire:

1. An Clerici Joan. Andreas et Franc. Antonius Italo-Graeci baptizati Ritu graeco sed ad primam tonsuram et quatuor minores ordines cum literis dimissor. Ordinarii sine tamen dispensatione apost. Ritu latino promoti absolventi sint ab incurta suspensione ac dispensandi super irregularitate? Et quatenus affirmative;

2. An iidem Clerici licite ad reliquos majores ordines eodem Ritu latino promoveri possint sive potius redire debeant ad Ritus graecum?

3. An consulendum sit SSmo pro apost. dispensatione, ut uno vel altero Ritu ad eosdem majores ordines promoveantur?

S. C. C. resp.: Dilata et scribatur Archiepiscopo juxta mentem.

Die 14. Maii et 14. Junii 1763.

*Continuatio ejusdem causae.*

Litterae itaque ad Archiepiscopum datae sunt, ut referret: num ii, dum Ordines susceperunt, declaraverint, animum suum seu voluntatem habue-

\*) Vd.: *Ritus latin.* (Utrum Presb. graecus ad ritum etc. — decr. *Rossanen.*)

rint transeundi ad latinum Ritus seu potius remanendi in suo graeco Ritu et quid ea de re exprimatur in dimissoriis illorum favore concessis tum pro tonsura tum pro reliquis ordinibus minoribus, ac insuper, cui Ecclesiae adscripti fuerint vigore S. Conc. Trid., et quo titulo fuerint ordinati quove Ritu in susceptis ordinibus ministraverint? Pervenerunt jam Archiepiscopi responsiones.

Refert I.: „Se pro explorato habere Clericos ipsos in actu petitionis susceptionisque memoratae tonsurae et reliquorum ordinum minorum aliam profecto voluntatem non habuisse nisi transeundi ad latinum Ritus; id patere ex ipso primo libello fratrum et ex eorum vita postmodum acta.“

II.: „Nihil in dimissoriis ab Antecessore illorum favore concessis tum pro tonsura tum pro ordinibus minoribus expressum fuisse de transitu eorundem a Ritu graeco ad latinum, cum datae fuerint dimissoriae typis editae, quibus uti consuevit pro ordinationibus latinorum Dioecesanorum.“

III.: „Adscriptos fuisse servitio Archipresb. Ecclesiae oppidi s. Georgii, ubi non graece solum vivitur, quod in prima relatione non dixerat. Addit in eadem Ecclesia altare distinctum pro Latinis esse, ibi S. Ciborium cum azymis de mandato S. Congregationis de prop. fide asservari, adesse Presbyterum latinum oppidanum, qui Latinis ministrat.“

IV.: „Ordinatos fuisse titulo patrimonii ob utilitatem Ecclesiae. Aitque revera utiles ac necessarios Ecclesiae eidem, in qua unus tantum Presbyter latinus sexagenarius est, ac nemo apparet ex oppidanis, qui hoc Ritu promoveri cupiat.“

V.: „Ritu latino ministrasse et licet ministraverint etiam Archipresbytero s. Georgii Ritu graeco celebranti, id tamen ex commissione potius quam

ex Officio gessisse profitentur in defectum scilicet aliorum Ritus graeci.“

Laudat juvenes de optima spe, de doctrina, de molestia atque uti ecclesiastico spiritu praeditos. Adjicit denique, quod quacunquē sua de praeteritis ratihabitione nunc opus sit, ipse omnia rata habet.

Re in hunc modum digesta praeter alia, quae jam antea dicebantur, unice modo inquirendum superesset: an, postquam fratres Masci preces Episcopo obtulerant, quibus declaraverant se velle ad Ritus latinum transire, si Episcopus pro eisdem literas dimissorias ad latinum Episcopum dedit, dicendum sit facto ipso Episcopum eam licentiam concessisse, quam Constitutio Benedictina requirit.

Proponuntur dubia ut supra.

S. C. resp. ad I.: Non indigere; ad II.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; ad III.: Provisum in primo.

Die 17. Dec. 1763 et 14. Jan. 1764.

d) Utrum Presbyter graecus ad Ritus latinum possit transire et celebrare et viceversa?

Vd.: *Ordinatio Graecor.* (§. XXIV.); *Ritus latinus* (utrum Presb. latinus etc.); *Missae* (Ritus); *Ritus graecus* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis* §. 6. X., §. 7. XX — XXIV. etc., §. 9. XIII. etc.; Constit.: *Allatae* §. 20. 31. etc.); *Presbyteri latini et graeci*; *Ritus lat.* (utrum in Ordinat. etc.).

(Conc. Tr. can. 13. de Sacram. sess. 7.; cap. 5. sess. 22.; cap. 9. sess. 14. de Ref.)

*Rossanen.*

Sacerdos Belvederius Arcundizza Albanensis Italo-Graecus, cujus natale solum est oppidum s. Georgii intra Rossanensis dioeceseos confinia existens, tametsi omnibus ordinibus fuerit graeco Ritu inauguratus servitioque archipresbyteralis Ecclesiae d. oppidi, ubi Ritus graecus observatur, ad-

scriptus, Neapoli primum deindeque in hac alma urbe aliquot mensium spatio missam latino Ritu celebravit, posthabita consultissima lege a s. Pio V. praescripta in Constitut. incipiente: „Providentia“ hisce verbis: „Sane cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri tam graeci quam latini antiquum S. R. E. Ritus tam in celebratione missarum quam aliorum divinorum officiorum pervertere satagentes diversas licentias et facultates missas et alia divina officia Graeci latino more ac Latini graeco Ritu celebrandi ab apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majore Poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetrarunt illisque jam pridem utuntur, hoc ab antiquo catholicae Ecclesiae instituto sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare et submovere volentes omnes et singulas licentias et facultates hujusmodi hactenus etiam motu proprio vel quorumvis etiam imperatorum, regum et aliorum principum contemplatione, et ex quibusvis causis quomodolibet concessas ac apostolicas et alias literas desuper confectas, illarum omnium tenores sufficienter expressis habentes, apostolica auctoritate ex certa scientia hac praesenti nostra perpetuo valitura constitutione revocamus, cassamus, annullamus et irritamus, quibusvis Presbyteris tam graecis quam latinis in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae ac perpetuae suspensionis a divinis poenis districtius inhibentes, ne deinceps Presbyteri graeci praecipue uxoriali latino more et latini graeco Ritu hujusmodi licentiarum et facultatum aut alio quovis praetextu missas et alia divina officia celebrare vel celebrari facere praesumant.“

At conscientiae stimulis postmodum vexatus supplicem sanctissimo Domino

nostro porrexit libellum, quo exponens, se tam Neapoli quam in Urbe missam latino Ritu celebrasse, tum quia commoditatem ministri et librorum, quibus missam graeco Ritu celebraret, nequisset reperire, tum etiam quia celebrando missam Ritu graeco ejus stipendium, quo sustentaretur, a nemine recepisset, postulavit absolvi a suspensione a divinis ex vi memoratae Constitutionis incursa et respective dispensari ab irregularitate ob praefatam missae celebrationem subinde contracta, cumque a sacro poenitentiariae tribunali, ad quod Sanctitas sua ejus preces cum facultatibus necessariis et opportunis remiserat, exaudiri obtinuerit, in altero posthac ad eundem summum Pontificem dato libello supplex petiit facultatem celebrandi missam etiam in posterum latino Ritu saltem in Urbe et Neapoli, ubi alias sub eodem Ritu, uti praemissum est, Sacrum peregit. Ejus autem precibus ad supremum hunc senatum remissis hodie discutiendum proponitur dubium, quod infra describetur.

Petitionem suam hisce rationum momentis salagit Orator communire: primo, quod licet ipse Sacerdos sit Ritu graeco inauguratus, ex parentibus tamen italis ortum duxit neque conjugatus reperitur sed celebs, adeo ut nemini admirationem paritura sit ipsius celebratio in Ritu latino, quemadmodum forte contingeret, si ageretur de Graeco in Oriente una cum idiomate ac moribus exteris natalia sortito; secundo, quod Ritus latinus, quem ipse jam bene callet, sit graeco perfectior, ideoque decentius sibi sit illum persequi quam ad graecum reverti; tertio, quod cum statuerit domicilium in Urbe figere, non nisi latino Ritu missam potest ibi commode celebrare atque pro ea eleemosynam congruae vitae suae sustentationi necessariam reperire, et demum nonnulla

exempla, quae sibi plurimum suffragari arbitratur, hisce verbis recenset: „Il sommo Pontifice Paolo V. nell' 1611 permise il passaggio dal rito greco a quel de' Latini a Nicolo Modafaro sacerdote greco da Reggio in Calabria, come riferiscono Leone Alazio de consenso utriusque Ecclesiae lib. 3. cap. 7. n. 8., Ughell. Ital. de episc. Boraie novissimae editionis in additionibus; Alessandro VII. un tal passaggio permise anche egli al sacerdote Agazzeita Evangelista Orientale; Clemente IX. similmente permise a Beccuso greco-orientale; Clemente X. permise solto li 2. Aprile 1677 un tal passaggio al sacerdote greco-orientale Francesco Scaffi, come apparisce nel registro della segreteria de' brevi; Clemente XI. finalmente permise un tal passaggio al sacerdote Samuele Rodalà oggi arcivescovo di Beria, come ancora a Gabriele de Marchis su Vescovo di Sora.“

Transitum e Ritu graeco ad latinum veluti perfectiorem facilius permitti, difficilius vero e latino ad graecum satis compertum est et colligitur ex resolutione hujus S. C. edita in una *Messanen.* „transitus ad Ritus graecum“ 23. Junii 1708. Praeterea communiter receptum habetur, Presbyteros graecos, qui relicto suo Ritu latinum amplexi sunt, prohibendos esse, ne ad illum revertantur, sed per censuras quoque compellendos, ut latinum Ritus semel assumptum retineant serventque, uti pluries rescripsit supremum hoc tribunal et signanter in *Meliten.* mense Februarii 1590, lib. 6. decr. p. 109, in *Montis Regalis* 10. Julii 1671 ad II., III. et IV. dub., lib. 57. decr. p. 139. Quod tamen procedit, quoties ille e graeco ad latinum Ritus legitime ac necessariis facultatibus instructi transierint.

At in praesenti themate ponderandum est, num expediat petitum transitum ad latinum Ritus indulgere ora-

tori, cujus indolem, mores et gesta Archiepiscopus Rossanensis jussus a S. C. super ejus precibus referre in haec verba rescribit: „Nonnullis abhinc annis, dum in carceribus tum ob grave aes alienum, tum ob nonnulla crimina detineretur, violenter fracto carcere aufugiens in patriam, ibi ad Ecclesiam, ut immunitate frueretur, se contulit, verumtamen confugio abutens frequenter armis igneis munitus ac sociis aequae armatis stipatus a loco immuni prodiens temere venationem clamorosam (udicunt) exercebat. Cumque archiepiscopalis curiae ministri armis minisque territi illum capere non auderent, statuit a S. C. immunitatis ecclesiasticae exorare, ut illum ab Ecclesia extrahendi atque in carcere nomine ipsiusmet Congregationis detinendi facultatem facere dignaretur; id ut ad notitiam istius pervenit, statim a dioecesi discessit, at Neapolim appulsus, cum sine literis testimonialibus seu dimissoriis licentiam peragendi sacrum in locis publicis consequi non valeret, in oratorio privato ejusdem nobilis foeminae Missam celebrare et, quod pejus est, latino Ritu non dubitavit. De quibus a teste omni exceptione majori monitus Vicarium generalem archiepiscopalis curiae Neapolis certiore facere non neglexi; Post haec audivi alibi ipsum vagatum fuisse, ac tandem petiisse Romam, ubi quid egerit ac quomodo se gesserit me latet. Id unum scio, quod scilicet semel atque iterum literas S. C. supremae inquisitionis accepi, quibus mihi eminentissimi Patres imperabant, ut super expositis in supplici libello ejusdem Sacerdotis Belvederii Arcondizza supplicantis pro transitu a Ritu graeco ad latinum sac. illud tribunal instructum redderem, quod obtemperans humiliter praestiti, eadem prorsus, quae hic praemisi, de origine ac moribus oratoris fideliter enarrans“; —

deinde vero ita subjungit: „Ad haec non mihi licet silentio praeterire, patriam oratoris, in qua, ut jam dixi, Ritus graecus omnino exercetur, extrema laborat penuria sacrorum ministrorum, quippe quia unus tantummodo Sacerdos, qui Archipresbyter existit, non satis valet populo mille et ultra incolarum Sacramenta ministrare, in mortis articulo praesto esse atque Ecclesiae sacras functiones exercere, praecipue cum frequenter aegritudine detineatur. Neque tenues paroeciae redditus sinunt exterum graeci Ritus Sacerdotem pro eo coadjuvando in cura animarum advocare; id etenim pluries expertus sum atque ex aliis Albanensium pagis allicere Sacerdotem aliquem graecum Ritus servantem statula mercede curavi, at post brevem moram abscessit, quo convenerat, salario non contentus“, — et tandem relationem praedictam hisce verbis absolvit: „His stantibus, an expediat oratori unico, praeter Archipresbyterum illius oppidi, graeci Ritus Presbytero ad latinum ut transeat suaeque patriae Ecclesiae inservire non valeat, viam aperire, EE. VV. qua praediti sunt sapientia atque prudentia erit, definire.

His itaque ponderatis rescribendum erit:

*An transitus e Ritu graeco ad latinum sit permittendus in casu?*

S. C. nihil respondit.

Die 14. Dec. 1737.

*Continuatio ejusdem causae.*

Quia vero circa preces Belvederii Arcondizza Sacerdotis Italo-Graeci supplicantis pro transitu ad Ritus latinum, de cujus permissione tunc potissima quaestio debuisset institui, graviores quaedam circumstantiae interea temporis peculiariter innotuere, ad aptiorem ineundam deliberationem

in causa necesse est, ut Eminentis VV. patefiat, dictum Presbyterum per quatuor vices eundem transitum a S. C. s. Officii pridem efflagitasse ejusque petitionem fuisse semper rejectam, adjectis quoque nonnullis animadversionibus, quas Eminentissimi Generales Inquisitores rati sunt opportunas, ne forte Missam ille latino Ritu temere celebraturus ejusdem generis piacula, quae dudum patraverat, praesumeret iterum attentare; deinde vero ipsum oratorem, ut gratiam, quam nequiverat a supremo sacrae inquisitionis tribunali obtinere, a sanctissimo Domino nostro subriperet, supplicem eidem Pontifici porrexisset libellum, quo praemissam rerum gestarum seriem penitus reticens, Sanctitatem suam in haec verba exoravit: „Che si degni ordinare, come deve contenersi l'oratore in avvenire, poichè avendo celebrato in Rito latino, e veduto da tutti publicamente, portarrebbe un gran' assurdo, reassumendo il greco anche contro la comune opinione de' teologi, li quali espressamente proibiscono una tal reassunzione; onde nuovamente ne supplica la Santità vostra, che si degni accordarli la facoltà di celebrare in detto rito latino saltem per Urbem et per civitatem Neapolis, dove è stato veduto per non rendere scandalo al popolo, che lo conosce.“ „Iste autem est libellus, quem SSmus Dominus noster ad hanc S. C. expendendum remisit, quoque huc delato, Sacerdos orator gratiam optati transitus implorare sa-tegit.

His itaque retentis fas est ob oculos habere decretum s. m. Innocentii XII. in parvo ejus bullario p. 222 registratum, quo expresse interdicitur, ne ullus imposterum, postquam praeces sive supplices libellos in materia gratiae vel justitiae alicui ex sacris Congregationibus Urbis quomodolibet obtulit seu praesentavit, itaut ipsa S. C.

mediante praefata praesentatione precum praeventa manus quomodocunque desuper apposuerit, queat „ullo modo idem negotium, causam vel petitionem ad alteram ex sacris congregationibus, etiam mediante rescripto Sanctitatis suae (quod in hoc casu importune et subreptitiae Sanctitas sua censi voluit extortum), sub quovis praetextu, causa vel quaesito colore etiam simplicitatis et ignorantiae deferre vel alias primam Congregationem sponte a principio aditam declinare“ —, ac praeter indictam nullitatem rescriptorum et decretorum, quae a secunda vel ab altera Congregatione extorqueri contigerit, ad compescendam similium impetratorum calliditatem sancitur „quod tam iidem oratores ac partes principales quam illorum illarumque procuratores, sollicitatores, agentes aut expeditores quicumque, quive adversus hujusmodi decretum attentaverint, non solum puniri valeant, etiam poena carceris vel altera arbitrio alterutrius Congregationis, mediante organo Secretarii pro tempore, facto tamen verbo in ipsa Congregatione, sed ulterius quod procuratores, sollicitatores, agentes et expeditores hujusmodi, ubi ipsi sint, qui ignara parte seu principali attentaverint, omnino teneantur ad refectionem omnium expensarum atque damnorum, quas vel quae personas principales hac de causa pati contigeret vel contigisset atque ad id summarie per eundem Secretarium, facto tamen, ut supra, verbo in ipsa Congregatione, opportunis juris et facti remediis compelli possint et valeant“; inde enim poterunt EE. PP. sapientissime de more statuere, num quidquam sit in hoc negotio decernendum vel praestet magis, rem totam ad supremum sacrae Inquisitionis tribunal deferri, cum de cetero juxta instantiam ab oratore promotam disputandum foret.

*An transitus e Ritu graeco ad latinum sit permittendus in casu?*

S. C. C. resp.: Non proposita et ad Emum Urbis Vicarium juxta mentem.

Die 11. Jan. 1738.

*Anconitana seu Urbis.*

Athanasius Savarus Presbyter Ritu graeco ordinatus a SSmo D. N. licentiam petiit ingrediendi religionem Fratrum Capuccinorum et celebrandi Missam Ritu latino et cum ex ejusdem SSmi D. N. Dataria hujusmodi supplicatio ad S. R. C. remissa fuerit, eadem S. R. C. censuit licentiam petitam a dicto Athanasio Presbytero graeco celebrandi Ritu latino posse concedi post ingressum religionis et emissionem professionis et ita declaravit.

Die 16. Oct. 1604.

(Anal. J. P. p. 37 n. 134.)

*Ordinis s. Basilii.*

Placidus Sonna Sacerdos Professor Ordinis s. Basilii Ritus Italo-Graeci, s. Theologiae Magister ac Prior Monasterii Turris in provincia Calabriae, pro gerendis ipsius Monasterii vel propriis aliisque etiam negotiis, non raro, urgentibus de causis, a Monasterio abesse cogitur et ad alia loca se transferre, ubi vel nulla adest sui Ordinis sui Ritus Ecclesia vel haec non parum distat a sua habitatione vel deest Missale graecum aut Minister, qui altaris sacrificio Ritu graeco peragendo valeat inservire. Hinc ne toto temporis spatio, quo a Monasterio abest, a perficiendo Sacro absteat, preces obtulit Sanctissimo pro facultate celebrandi Missam iis in locis ac circumstantiis Ritu latino. Precibus ad S. R. C. primum remissis deinde que Sac. huic Congr. ablegatis discutendum proponitur: an petita facultate

tas concedi valeat. Qua quidem super re, ne meo muneri deesse videor, sequentia ex Officio adnotanda duxi.

Ignotum plane non est, Ecclesiam facilem olim sese praebuisse in impertienda facultate, ut Sacerdotes Latini-Graeco Ritu et vicissim Sacerdotes Graeci-Latino Ritu Divinis Mysteriis operarentur pluribusque allatis exemplis, rem hanc multiplici, qua solet, eruditione prae caeteris conficit Christianus Lupus tom. 4. Oper. in disert. de s. Leonis IX. actis cap. 14. pag. mihi 384 et 349. Verum, quae subinde exarserunt Latinos inter Graecosque dissidia, praesertim post iniquum Michaelis Caerularii schisma, in causa fuerunt, ut Ecclesia a pristina facilitate atque indulgentia omnino recederet et severissime prohiberet quominus ulla fieret a Latinis Graecisque Sacerdotibus suorum Rituum immutatio. Id autem dissertissimis verbis decrevit Pontifex Eugenius IV. in Constitut.: *Laentur*, edita in Concilio Generali Florentino anno 1439, in qua Graecae Ecclesiae cum Latina unio refertur pluresque describuntur articuli, in quibus Graeci a Latinis dissidebant; et praecipue statuitur „Sacerdotes in alterutro (in azymo sive fermentato) ipsum Domini Corpus conficere debere unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.“ Eoque spectare videtur illud Conc. Tridentini decretum *sess. 22. cap. 8.*, quo praecipitur, ut in celebratione „Missae retineatur ubique cujuscumque Ecclesiae antiquus et a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre et Magistra probatus Ritus.“

Haec tamen etsi perspicua essent, retrahere nihilominus nonnullos non valuerunt a permutando suarum Ecclesiam Ritu, praetextu facultatum, quas ab Apost. Sede vel ab ejus Legatis, aut a majori Poenitentiario sibi

concessas authumarunt Missamque idcirco caeteraque Divina Officia modo Graeco modo autem Latino Ritu celebrarunt. Hujusmodi abusus, ut radicatus evelleret s. Pius V. Constitut. incipien.: *Providentia* die 20. Aug. 1566 ita mandavit (vd. p. 311): „Cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri tam Graeci quam Latini antiquum Sanctae Romanae Ecclesiae Ritu tam in celebratione Missarum quam aliorum Divinorum Officiorum pervertere satagentes, diversas licentias et facultates, Missas et alia Divina Officia Graeci-Latino more, ac Latini Graeco Ritu celebrandi ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario variis praetextibus impetrarint illisque jampridem utantur, hoc ab antiquo Catholicae Ecclesiae instituto Sanctorumque Patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare volentes omnes hujusmodi licentias et facultates revocamus et cassamus: „Quibusvis Presbyteris tam Graecis quam Latinis in virtute Sanctae obedientiae inhibemus, ne deinceps Presbyteri graeci, praecipue Uxorati, latino more et latini Graeco Ritu, hujusmodi licentiarum aut facultatum aut quovis alio praetextu, Missas et alia Divina Officia celebrare aut celebrari facere praesumant.“

Itemque Gregorius XIII. Orthodoxae Fidei professioni, quam a Graecis Romanae Ecclesiae unitati restitutis praestari jussit, hunc articulum inseri praecipit „Credo in azymo sive fermentato pane tritico Corpus Christi veraciter confici Sacerdotesque in alterutro ipsum conficere debere unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis Ritu.“

Verum hisce non obstantibus non defuerunt quamplures auctores, quos inter *Diana* resol. 99. Miscell., *Nardus* verb.: Sacerdos n. 4., *Macedo*

de clavib. Petri iib. 4. cap. 5., *Enzo* de Eucharist. quaest. 2. conclus. 2., *Sylvius* in 3. par. s. Thom. quaest. 74. art. 57. aliique apud Verricellium de apost. Mission. tit. 8. quaest. 188., qui distinctionem excogitantes Graecos inter in Graecia commorantes aliosque peregrinantes aut degentes apud Latinos, ubi non sunt proprii Ritus Ecclesiae, fas istis esse existimarunt sese conformare Ecclesiae, sub qua versantur Latinoque Ritu Sacra conficere. Hanc opinionem tueri posse putarunt egregia illa Augustini sententia lib. 1., seu Epist. 54. alias 118. ad inquisitiones Januari n. 6., quae est hujusmodi: „Faciatur ergo quisque, quod in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit; Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores hinc vel inde meliores.“ Verum Augustini consilium respicit consuetudines illas legesque, quae a loco pendent quibusque conformare se debet quicumque in loco, ubi illae vigent, commoratur. At lex de retinendo suae Ecclesiae Ritu personas afficit, quae cum susceperit baptismum aut Ordines, ex Ecclesiae lege adstricti sunt ad perseverandum in proprio Ritu servandumque propriae Ecclesiae consuetudinem, ut observat auctor additionum ad *Ferraris* Bibliothec. Canon. verb.: Eucharistia §. 1.

Animadverti etiam potest cum *Ghignoli* in praelect. Theolog. par. 3. de Euchar. quaest. 3. prop. 4. n. 5., quod alibi idem Sanctus Doctor dixerit: „Roma rescripta venerunt, causa finita est.“ Continentur autem hujusmodi rescripta in citato Concilio Florentini decreto atque in prae laudatis Summorum Pontificum Constitutionibus, quibus absque ulla distinctione unicuique praecipitur Ecclesiae suam consuetudinem observare, a qua proinde nemini licet ulla in causa recedere.

Disciplinam hanc modis omnibus servari jussit san. mem. Benedictus XIV.,

qui in sua Constitutione: *Etsi Pastoralis*, quae tota est de dogmatibus et ritibus ab Italo-Graecis tuendis tom. 1. Bullar. §. 6. n. 10. haec statuit\*): „Districtius inhibemus etiam sub poenis perpetuae suspensionis a Divinis, ne Presbyteri Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu, sub quovis licentiarum et facultatum, Missas et alia Divina Officia, Graeci-Latino more et Latini-Graeco Ritu celebrandi, ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam majori Poenitentiario pro tempore existente obtentorum praetextu Missas et alia Divina Officia celebrare vel celebrari facere praesumant.“ Idque ipsum districtius injunxit laudatus Pontifex in aliis etiam Constitutionibus hac super re editis, praesertim in illa anni 1755 incipien.: *Allatae sunt*, tom. 4. Bullar. n. 47\*\*). Cum enim quidam Sacerdos Sacris Missionibus deputatus in civitate Balserae exposuisset S. C. de Propaganda Fide, plures in ea civitate commorari Catholicos Ritus Orientalis, Armenos nempe et Syriacos, qui peculiari templo carentes ad Latinorum Ecclesiam se conferebant, proindeque quaesivisset, an praedicti Armeni et Syriaci Catholicum Ritu observare deberent, an vero magis consentaneum esset, ut Latinorum Calendario se conformarent, Sac. Congr. Generalis Inquisitionis hac super re consultata die 13. Martii 1755 respondit: „Nihil esse innovandum“, quod quidem decretum laudatus Pontifex relata Constitutione egregiis argumentis atque doctrinis confirmavit.

Inter caetera vero ibidem occurrit, Cardinalem Leopoldum Kollonitz sa. mem. Clementi XI. olim exposuisse, valde Catholicae Religioni profuturum, si Latinis Missionariis permitteretur, ut in Hungaria graeco Ritu celebrarent,

\*) Tom. III. p. 251.

\*\*) Vd. t. III. p. 213.

relicta eisdem facultate ad Latinum Ritu revertendi. Verum Summus Pontifex animo perpendens unumquemque juxta canonicas sanctiones in suo Ritu permanere debere neque Sacerdoti licere modo latino modo autem graeco Ritu celebrare, assentiri recusavit. Vid. t. 1. Epistolar. et Brev. selectior. ejusdem Pontificis typis edit. p. 205. Atque haec et alia plura, quae afferri possent, satis perspicue evincunt, quam difficilis fuerit progressu temporis Apostolica Sedes in impertienda Sacerdotibus facultate a propriae Ecclesiae Ritu atque consuetudine recedendi.

Quod vero attinet petitam ab Oratore dispensationem, ponderandum occurrit, an haec facilius concedi posset ex eo, quod monachi Basiliani Italo-Graeci ita Sacrum perficiunt, ut azymo cum Latinis utantur abstineantque a graeco Ritu fundendi in calicem post consecrationem et ante consumationem paululum aquae calidae: indeque nullum induci videatur transitum de uno ad alterum Ritu nullamque Ritus permutationem ab Ecclesiae legibus vetitam, sed transitum dumtaxat ex graeco ad latinum idioma, in quo maximum situm asseritur discrimen Missae, quae ab iisdem monachis et a Latinis Presbyteris celebratur. Laudatus Pontifex Benedictus XIV. in citat. Constitutione: *Allatae sunt* §. 33.\*), dum loquitur de commixtione Ritus ab Ecclesiae legibus vetita, ita rem explicat: Vetita sane Ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo rem divinam facerent et genti suae Sacram Eucharistiam in azymo distribuerent.

Vetita quoque Ritus commixtio esset, si Latinus Sacerdos modo juxta latinum

\*) Tom. III. p. 236.

modo juxta graecum Ritu, aut Sacerdos Graecus modo graeco modo latino Ritu Missam celebraret.

Considerandae praeterea sunt causae, quibus in praesenti casu dispensatio petitur, nempe defectus graeci Missalis et idonei Ministri, qui Sacro inservire possit. Videndum an hujusmodi difficultates facile superari possint; ac denique ponderandum, dispensationem in praesenti casu exposci, quando Orator abest non solum pro gerendis Monasterii negotiis, sed etiam ad res proprias peragendas aliisque de causis, quae tamen in supplici libello non exprimuntur.

Hisce proinde sapientissimo EE. VV. judicio praepositis discernendum erit:

*An sit consulendum SSmo pro concessione petiti Indulti in casu?*

S. C. resp.: Negative.

Die 4. Maii 1771.

e) Utrum Presbyter graecus casulam latinam assumere possit?

Cassanen.

Archipresbyter Fraxineti Cassanen. dioecesis S. R. C. supplicavit, ut sibi facultatem tribuere dignaretur posse adhibere in Missa graeca prout hactenus consuevit casulam latinam, quam ipsi Vicarius generalis prohibuit. Et Emi Domini Constitutionem Pii V. servandam esse mandaverunt.

Die 7. Sept. 1658.

(Anal. J. P. 1863 p. 354.)

f) Utrum Presbyter latinus ad Ritu graecum possit transire?

Vd.: *Ritus lat. (utr. Presb. graec. etc.)*

(Conc. Tr. Con. 13. De Sacr. sess. 7.; cap. 5. sess. 22.; cap. 9. sess. 14. Deref.)

Messanen.

Ad mox vacantem Parochialem Ecclesiam s. Nicolai Graecorum nuncu-

patam, in qua Ritus Graecus servari consuevit, per obitum in Curia Francisci Pizzi, indicto per Archiepiscopum Concursu, duo dumtaxat examini sese subjicere curarunt, Petrus Pelazzotus Presbyter Graeco-Latinus a tribus examinatorebus synodalibus approbatus et Leontius Calzonus Presbyter Orientalis ab iisdem reprobatur. Cum autem idem Palazzotus supplex habuerit recursum ad datariam precibus remissis ad hanc S. C. nedum pro assequenda institutione praefatae parochialis, verum etiam pro gratia dispensationis transeundi de Ritu Latino ad Graecum, eo quod eadem parochialis haud patiatur regi a Presbytero Latino, fuit requisita de more informatio Archiepiscopi, qui praemissa comprobando, Oratoris precibus annuendum censet, ne Ecclesia illa rectore careat, nullum alium, asseverans, Orientalem Sacerdotem inibi reperiri, qui eam curam suscipere valeat, metuens caeteroquin informans, ne si quis forte Orientalis adventaret, deprehendatur porro schismaticus, quemadmodum contigisse inquit, tempore sui Praedecessoris. Placeat itaque EE. VV. pro earum summa sapientia resolvere:

*An petitis sit annuendum, in casu etc.*

S. C. C. resp.: Archiepiscopus curet fieri novum concursum factis requisitoriis in dioecesibus alienis pro repudiando Graeco.

Die 23. Junii 1708.

*Iterum proposito eodem dubio S. C. resp.: Dilata et fiant novae diligentiae juxta instructionem.*

Die 11. Maii 1709.

Policastren.

Paulus Miglianus Presbyter Policastren. provius de beneficio in Graecia supplicavit ut Missa graeco Ritu celebrare posset, ei facultas tribueretur suscipiendi Ordinis ab antistite graeco.

Sacra autem Congregatio a Congregatione SSmae Inquisitionis rem hujusmodi expetendam respondit, sed nullatenus concedendum videri, cum ordo reiterari nequeant.

Die 10. Junii 1658.

(Anal. J. P. 1863 p. 338 n. 1541.)

*Pius V. ad perpetuam rei memoriam.*

Providentia romani Pontificis plurimum circumspecta nonnunquam ea, quae certis suadentibus causis per ejus praedecessores gesta sunt, ex aliis non minus rationabilibus alteratis et ad pristinum statum reducit, prout aequitas suadet et in Domino conspiciit expedire.

Sane cum ad notitiam nostram pervenerit, quod nonnulli Presbyteri, tam graeci quam latini, antiquum s. rom. Ecclesiae Ritu tam in celebratione Missarum quam aliorum divinarum officiorum pervertere satagentes diversas licentias et facultates Missas et alia divina Officia Graeci-Latino more ac Latini-Graeco Ritu celebrandi ab Apost. Sede vel ejus legatis ac etiam majore Poenitentiario pro tempore existente variis praetextibus impetrarunt illisque jampridem utuntur, hoc ab antiquo cathol. Ecclesiae instituto sanctorumque patrum decretis deviare considerantes, propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare et submovere volentes, omnes et singulas licentias et facultates hujusmodi hactenus, etiam motu proprio vel quorumvis etiam imperatorum, regum et aliorum principum contemplatione et ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac apost. et alias literas de super confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, apost. auctoritate, ex certa scientia, hac praesenti nostra perpetuo valitura Constitutione revocamus, cassamus, annullamus et irritamus quibusvis Presbyteris,